

Q. D. O. M. B. V.

9.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
PHRENITIDE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQVA

PRAESIDE
IOANNE ADOLPHO WEDELIO
PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD.
SERENISS. SAX. DVC. CONSIL. AVLICO ET ARCHIA-
TRO ET ACAD. NAT. CVRIOS. COLLEGA
PATRONO ET PRAECEPTORE SVMMA PIETATE COLENDO

PRO LICENTIA

GRADVM DOCTORIS INSIGNIA ET PRIVILEGIA
MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSA
AB AVCTORE

CHRISTOPH. FRIDERICO KVHNEO


ISENACENSI

AD D. AVGVST. AN. MDCC XXXVI.
LOCO ATQVE HORIS CONSVENTIS.

ol. spec. IENAE LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

9. 28

Morb fpt 852





§. I.



PHRENITIS est delirium perpetuum cum febre acuta, ab inflammatione menyngis piæ, & substantiæ corticosæ cerebri, proueniens. Delirium adesse sensibus manifestum est, loquuntur enim & faciunt absurdâ phrenitici, & ideo generis loco ab antiquis iam temporibus est positum, quod in quamplurimis affectibus aliis usitatum est, ut essentiale symptomata genus constituat. Differentia specifica primo a continuitate delirii desumpta est. Occurrunt enim alia quoque in febribus deliria, quæ non sunt perpetua vel continua, sed per interualla magis adfligunt. Hæc autem non sunt phrenitica, sed tunc demum, si perpetua sint & reliquias dictas habent conditiones. Fit quidem aliquando, sed rarius, ut phrenitici etiam lucida quædam habeant interualla, vbi recte loquuntur & agunt, sed exigua hæc sunt, magisque in iis occurruunt, in quibus curatio bonum effectum edit, vnde salutis spes magis adfulget, si talia apparent interualla. Ulterius differentiam specificam habet a febri acuta, simul coniuncta. Dantur enim deliria sine febre, quæ plane huc non pertinent, ut mania, licet huic quidam febrim comitem

tem adsignent, & melancholia, aliaque. Nisi ergo febris acuta vna sit præsens, pro phrenitide haberi nequit. Potest tamen hæc febris etiam esse maligna, & sic aliquando incautos decipere, ac si abesset, genuini autem medici hanc deprehendere & cognoscere valent, &, si maxime ita latitet, vt etiam hi eandem perspicere non possint, tamen eam respiciunt in curatione tamdiu, donec periodus huius sit præterlapsa. Tandem differentiam specificam causa præbet, inflammatione nempe menyngis piæ, & partis corticosæ cerebri. Hæc si absit, phrenitis proprie dicta non est, sed ad aliam classem deliriorum pertinet.

§. II.

Tria itaque in phrenitide occurrunt essentialia, delirium perpetuum, febris acuta, & inflammatione menyngis piæ & substantiæ corticalis cerebri, adeoque morbus adest compositus. Delirii subiectum est substantia cerebri medullaris, vt omnium deliriorum; febris acutæ subiectum est massa sanguinea; & inflammationis menynx pia, & substantia cerebri corticosa. Delirii subiectum est substantia cerebri medullaris, quia sensuum internorum sedes est, qui a spiritibus, ibi hærentibus, rite peragi debebant. Delirium autem nihil aliud est, quam aberratio sensuum internorum, in primis phantasiæ, hinc & memoriae, & aliquando sensus communis. Anima autem rationalis, seu mens, proprie delirii subiectum non est, sed ideo tantum, vt actiones suas debite præstare haud queat, impeditur, quia organon eiusdem, seu spiritus, vitium ceperunt, quod alibi euictum est satis.

§. III.

Febrem in massa sanguinea locum suum habere, nemo, quantum sciam, negavit vnquam. Inflammationis autem hic præsentis subiectum esse menyngeum piæ

piam, & corticosam cerebri substantiam, hodie vix aliquis dubitauerit, cum, vasa arteriosa, ad cerebrum abeuntia, non nisi per menyngem hanc illuc peruenire & distribui, notissimum sit; nec de substantia cerebri corticosa dubium habebunt, qui ex *Ruyischii* oculari demonstratione conuicti sunt, hanc mere esse vasculosam, nullasque ibi glandulas reperiri. Id tamen desiderari adhuc posset, quod menynx dura omissa sit in definitione, quæ tamen in phrenitide defunctis inflammata fuit deprehensa. Verum, ut non negamus, hoc fieri, & quidem sæpius, in hoc malo, ita deprehendere haud valemus, menyngis duræ inflammationem phrenitidis causam esse, cum ex hac membrana nullus sanguis immediate ad cerebrum penetret, sed ea sanguinem venosum, ex cerebro refluum, in sinus tantum recipiat; imo, ne ex his, semel receptus, vrgeri iterum versus cerebrum pressione, aut alia vi, queat, singularis ventarum cerebri in hos sinus insertio faciat. Potest tamen duræ menyngis inflammatio coniuncta febrim simul souere, eamque augere, imo etiam excitare, nisi statim primo in principio morbi adsit.

§. IV.

Nexus horum morborum magis patebit, si causas eorundem habeamus cognitas. Delirium itaque, in motu spirituum præternaturali cum consistat, quomodo ideæ peregrinæ, & rebus non conuenientes, offeruntur, & eiusdem imperio voluntatis, prout decet, non subsunt, immediate ab eorundem spirituum intemperie prouenit. Hi enim, cum fluidum subtilissimum existant, in se considerati, aliam constitutionem naturalem habere nequeunt, quam qualitatem & quantitatem decentem, quibus conuenienter se habentibus, motus decens etiam adest. Quantitas autem hic non peccat, ergo qualitas, quæ ipsa est temperies, præternaturalis

A 3

erit,

erit, adeoque intemperies adest, & quidem talis, vt partes actiuiores peregrinæ iis intermixtæ sint. Quoniam autem spiritus ex sanguinis massa fiunt, eique inhærent, & in cerebri substantia corticosa secretionem subeunt, & hinc in substantiam medullarem cerebri, & inde ulterius, pergant, necesse est, eorundem temperiem & intemperiem a sanguinis, bona vel mala, tempe- rie prouenire. Vnde recte adfirmatur, qualis est sanguis, tales sunt spiritus.

§. V.

Sanguis a variis causis ita vitiatus reddi potest, vt culpa viscerum sanguinem depurantium, ab infiammatione variarum partium grauiori, a febribus, & aliis. Hoc loco autem inflammatio menyngis piæ, & partis corticosæ cerebri, intemperiem talem spiritibus conciliat, quia immediate ex sanguine, feruidiori & acriori, spiritus euolui & secerni debent, cum alias sanguis ad cerebrum haud perueniat. Itaque ex sanguine, intemperato hoc reddito, intemperati quoque spiritus in cerebri substantiam medullarem secernuntur, qui præternaturale etiam motum inde exercent. Atque ita scire licet, cur, & quomodo, hæc inflammatio delirii phrenitici causa sit. Hæc igitur inflammatio si absit, a quacunque causa delirium fiat alia, phrenitis dici haud debet.

§. VI.

Febris coniuncta vel ab eadem causa, quæ inflammationem facit, simul, excitatur & tunc statim a principio comes adest; vel ab inflammatione modo recensita, quæ & statim inflammationem duræ menyngis combinatam habere potest, ubi utraque concurrit, infertur; vel denique ab aliis causis primo præsens est, & effervescit sanguine in toto reddito, eandem menyngis piæ, & corticosæ cerebri substantiæ, vt & menyngis duræ,

duræ, inflammationem excitare valet, vt ex causis, inflammationis dictæ consideratis, clarus patebit, ad quas hinc progredi consultum est.

§. VII.

Immediata inflammationis menyngis piæ, & corticosæ cerebri substantiæ, causa est proportio sanguinis in his partibus ita vitiata, vt partes salino-sulphureæ acres, biliosæ veteribus dictæ, eminentiores & auctiores in eodem reddantur, serosæ vero blandæ magis deficiant. Hac proportione vitiosa inducta, cum igneæ particulæ copiose liberentur, & sui iuris reddantur, non potest non efferatior ibi fieri calor, & spirituosæ, in eodem sanguine hærentes, similiter intemperatæ, & ad exorbitantem motum habiles, redi, quales hinc secernuntur & in cerebrum abeunt.

§. VIII.

Proportionem sanguinis, in his partibus hærentis, vitiosam reddit stasis eius, seu motus progressiuus ita impeditus, vt effluxus euadat minor, adfluxus autem vegetus permaneat. Atque hæc est causa mediata proximior. Dum enim sanguis pergere rite non valet, serosæ tenues partes, adhuc ibi præsentes, secedunt & exeunt, adeoque imminuuntur, globuli vero sanguinis accumulantur, motumque intestinum adquirunt maiorem, adeoque igneæ particulæ euoluuntur, quo ipso iam tacta vitiosa proportio emergit.

§. IX.

Stasis hæc debetur obstrukcionis inæquali, in extremitis subtilissimis arteriolis facta. Hæ enim, in statu naturali, transituro sanguini viam satis commodam præbent, vt infinitis fere in locis particulæ spirituosæ, circa has extremitates, colari, & in tubulos cerebri recipi, sanguis vero ex his arteriolarum extremitatibus in respondentes venulas redire, queant. Si autem hæ extremitates

mitates obstruantur, tardiorque sic eueniat exitus, stasis sanguinis oritur, & iam recensita eueniunt.

§. X.

Obstructio hæc oritur vitio vel contenti, seu ipsius sanguinis, vel parietum vasculorum, cum etiam hic nihil aliud occurrat, quam parietes vasculorum extre- morum, & cauitas ab his determinata. Parietes ita- que vasculorum, si ad se inuicem proximus accedunt, angustior relinquunt cauitas, quam vt recte sanguis transire queat, vnde tardius transit. Cauitates autem exiguae, si sanguis sit spissior & crassior, cedere & ampliores reddi nequeunt, adeoque ab hoc ipso transitus red- ditur impeditior. Ergo vitium vel contenti seu sanguini- nis, vel parietum, vel seorsim vel coniunctim, obstru- ctionem dictam parit,

§. XI.

Sangis in culpa est, si peccet vel quantitate nimia, vel qualitate. Nimia quantitas eius iamdum progres- sum tardiorem efficit, siue simul actiuor deprehen- datur, biliosæ acriores partes etiam copiosiores adsunt. Qualitas id facit, si vel acrior, biliosior, fermentificus vel spissior sit. Ille, irritando & vellicando fibrillas extre- morum vasculorum, hæc angustiora efficit; hic per se inhabilior ad transitum est, vt iam comme- morauimus.

§. XII.

Parietes vasculorum proximus ad se accedunt per crispaturam fibrillarum, quam & sanguis, dicto mo- do, ipse facere solet, vel alia acria ibidem accendentia, vt humor extravasatus, ibi decubitum faciens, & acrior euadens. Læsio etiam, a violentia externa, huc spectat, ruptis enim quibusdam vasculis pergere per has sanguis nequit, adeoque eadem quantitas per reliqua vascula vna vrgetur, & insimul ichorescentia sanguinis extraua- fati concurrit.

§. XIII.

§. XIII.

Quæ sanguinis & parietum vasculorum recensita iam mala efficere possunt, ad causas mediatas remotiores pertinent. Temperamentum itaque sanguineum actius gaudet partibus, & ad plethora in magis inuitat. Biliosa sanguinis temperies abundantiores biliosas habet partes, quæ augmentum vitiosum capere facile queunt, quod adhuc magis de atrabilario valet temporeamento. Aetas vegetior, actiuori cum gaudeat sanguine, & errores diætæ facilius committat, vicinior huic malo est, quam reliquæ ætates. Vterque quidem sexus obnoxius est huic morbo, melior tamen maiorem ad eundem habilitatem obtinet. Habitus ficcior tum totius, tum in primis capitis, promptiore morbo admissionem præbet.

§. XIV.

Aer calidior partes sanguinis serosas dissipat, biliosas acres promptius euoluit & acuit, vnde insolatio, inuitasse hoc malum, visa fuit. Frigidior aer secretio nem & difflationem biliosarum impedit, crispaturam fibrillacum infert. Cibi calidiores, aromaticæ, acria, volatilia, imo & medicamenta nimis calida, potus vini generosi, si largius & crebrius adsumantur, partes biliosas acres nimis augent, serosas blandas vero absument. Vigiliæ nimia prouentum acrum biliosarum partium promouent, serique absumtionem iuuant. Motus nimius similem effectum edit. Per adfectus animi efferatores massa sanguinea euadit acrior, & calidior, vt ira, excandescientia, venus nimia, testantur. Mœror, modum excedens, in calidioribus & scorbuticis retentionem actiuorum partium, & stasin, promovet. Homorrhagiæ ordinariæ salutares, lochia, menses, hæmorrhoides, in primis in calidioribus, si sup-

B

priman-

primantur, ad hoc morbi genus multum conferre possunt.

§. XV.

Febres acutæ, & vehementiores ardentes, malignæ, pestis, variolæ etiam nonnunquam, eandem labem induxerunt. Inflammationes grauiores internæ, in primis angina, peripneumonia, pleuritis, inflammatio dia phragmatis, intestinorum, erysipelas faciei &c. metastasi facta, aliquando in phrenitidem abierunt. Dolor & calor capitis, intensior & contumax, non raro phrenitidi initia dedit. In omnibus enim his sanguinis rarefactio, acrimonia biliosa, & spisitudo, serique blandi defectus, adsunt, ut stasis illa facile excitari queat. Idem malum a morsu canis rabidi ortum obseruatum est, in primis neglecto. Nec omittendæ sunt læsiones capitis, in primis grauiores, quæ stasin talem, ob causas ante laudatas, efficere valent, nisi prouide & mature id præcaueatur.

§. XVI.

Phrenitis primaria dicitur & est, quæ statim, abs que morbo alio prægresso, ægrum corripit, symptomatrica autem dicitur, quæ ex morbo alio ortum habet, siue febris prægressa, siue inflammatio alia præcedens, siue vulnus & contusio cerebri, siue alias morbus, eam fecerit, & non minus vera, quam illa, est, cum essentia lia eadem occurrant. Hanc quidam paraphrenitidem vocauere, quo tamen nomine alii tam mitiorem phrenitidis gradum, quam delirium, ex inflammatione dia phragmatis, iuxta nonnullos etiam aliarum partium internarum, sine tamen inflammatione menyngis & cerebri superueniente, adeoque per consensum tantum ortum, designant. Gradum quoque phrenitis diuersum exhibet, alia enim remissior, alia grauior, alia gra uiissima, est, pro ipsius inflammationis, febris & delirii gradu

gradu diuerso, qui etiam hic locum habet, & per symptoma-
tata occurrentia se manifestat diuersa. Malignior
quandoque deprehenditur, calorem occultans, & medi-
cum, nisi cautus sit, fallens. A causis differentiam ad-
quirens phrenitis ex ipsarum causarum prægressarum
& præsentium consideratione patescit.

§. XVII.

Adesse hoc mali genus, ex delirio, febris & inflam-
mationis dictarum symptomatibus, & causis manifestis,
cognoscitur. Delirium continuum sensibus patescit,
agunt enim phrenitici & loquuntur absurdā & incon-
grua. Est autem hoc delirium pro diuersitate tempe-
ramenti ægrorum diuersum. Occurrit enim cum fero-
cia, clamore, inquietudine, inuercundia, oculis mobi-
libus, ferocibus, toruis, squalidis, oris motu vario, ani-
mo lædendi alios, vbi conuitia audiuntur, insputatio
videtur, cum stridore dentium, robore insigni, vt etiam
compesci debeant, e lecto exsiliunt, &, nisi id impedia-
tur, ex alto se præcipitant, quod in temperamento bi-
lioso magis fit. Omnia hæc, si atrabilarium subsit tem-
peramentum, vehementiora obseruantur, & immaniter
sæuiunt ægri, vt coerceri fere nequeant. Quod si sanguineo
æger prædictus fuerit temperamento, absurdā fiunt cum
risu & hilaritate & garrulitate, vbi multa loquitur in-
concinna, reliquaque paulo mitiora, incongrua tamen,
videntur. Ad melancholicam sanguis si vergat tem-
periem, delirium cum silentio quoque, & stupore quasi,
& tristitia, combinatum occurrit, vti etiam, si tempera-
mentum ad aliud magis inclinet, alia se ostendit varietas.

§. XVIII.

Febrim coniunctam notant symptomata eiusdem
essentialia & reliqua. Calor adest continuus in toto,
vehementior vel paulo remissior, aliquando etiam ma-

B 2

lignus,

lignus, subdolus. Pulsus deprehenditur celer, simul durus & vehemens, interdum frequens, maligniori statu præsente. Respiratio sublimis, magna, vt & rara, deprehenditur, pro rarefactionis & virium gradu. Vigiliae obseruantur contumaces, vel certe somnus, si accedit, turbulentus, in quibusdam continua inclinatio ad somnum, & sopor, cum delirio obseruatur, quod aliquando statim a principio videtur, aliquando in hunc statum abit. Appetitus prostratus est, sitis vero vehemens vrget, aliquando abest, calore tamen maiori præsente. Vrina rubicunda & flammea est, separationem subeuntibus partibus biliosis efferatis, quæ, si secessum haud adquirunt, tenuis, alba & aquea, cernitur vrina. Aliquando etiam alui excrementa minus tincta, sed albida, secedunt, malo cum omni, cum bilis secessus tunc quoque haud fiat debitus.

§. XIX.

Inflammatio menyngis piæ & partis cerebri corticosæ, vt & menyngis duræ, se prodit per calorem frontis, dolorem capitis intensiorem, cum calore ibidem maiore, qui dolor tamen, in progressu, ob delirium non amplius sentitur; per ruborem oculorum, faciei, genarum, colli, sanguine hic quoque, ob stasin in illis partibus factam, magis rarefacto reddito, & partibus igneis copiosius liberatis, huc etiam se diffundentibus. Lingua aspera, sicca, nigricans, febri quidem ardenter maximam partem debetur, facilius tamen oritur, si partes vicinæ hæ intemperatores sint.

§. XX.

Omnibus his affectibus, seu symptomatibus, si iungamus causas medias remotiores manifestas, §. 13. 14. 15. recensitas, & in ægroto prægressas, vel adhuc præsentes, non possumus non determinare, adesse phrenitidem.

Quod si

Quodsi autem, malignitate concurrente, febris & inflammationis laudatae signa sint obscuriora, vt magis ad maniam pertinere videri posset, optimum & tutissimum est, vt tales ægros curandos eadem tractemus ratione, ac si essent phrenitici. Diebus enim xiv. præterlapsis, manifestum fiet, phrenitis fuerit, an mania, & hoc modo nihil negligitur, nihil damni infertur. Nam mania chronicum malum est, & a medicamentis, phrenitidi conuenientibus, itidem mitigatur, minimum haud deterior redditur. Phrenitidi autem latitanti præsenti mature sic prospicitur, & nihil ita ommittitur, quod ad conseruandam vitam facere potest ullo modo. Contrarium si fiat, mors certo certius acceleratur.

§. XXI.

Periculosa, nunquamque negligenda, phrenitis est, febri enim acutæ combinata partis tam nobilis inflammatio est, adeoque illa euadit periculosior, cum & hæc, in se spectata, destructionem sui subiecti tenerioris, mollioris, & delicatioris, facile inferre valeat. Malus exitus timendus tunc magis est, si & delirium adsit vehementius, & nullam, optimis quoque remediis adhibitis, in progressu ostendat remissionem. Febris gravior vel malignior adsit, pulsus reddatur frequens, debilis, vigiliæ cum delirio contumaces permaneant, somnus, si superueniat, non mitiget delirium, sed turbulentus magis sit, vel sopor cum desipientia statim adsit, & permaneat, vel etiam superueniat, sitis tum nimis vrgens, tum præter rationem cessans, appareat; temperamentum biliosius in ægro adfuerit, in subiecto, ad senium magis inclinante, morbus si contingat; laxatio capitis violenta eam induxit, vel ex alia parte inflammata, metastasi facta, sit nata phrenitis. Exitiosum admodum erit, vrinam esse pallidam & crudam,

B 3

excre-

excrementa alui pallida reddi, vel utramque hanc excretionem pertinaciter cessare, substillum narium euenire, vomitum æruginosum contingere, singulum, motus conuulsuos accedere, tremorem labiorum, vel digitorum, vel artuum, fieri, floccos ægrum legere, extrema euadere frigida, vlcera, si quæ adsint, subito siccari, stuporem superuenire vel syncopen.

§. XXII.

Spem aliquam salutis adfert, contraria dictis si eueniant, viresque sic satis sibi constent, adeoque adsit & delirium mitius & febris benignior, pulsus robustior, vrina ruffa, & coctionem exhibens, somnus rediens, delirium, interualla lucida constantia acquirens, mensque subinde rediens, reliquis recte respondentibus. Nam breui ante mortem redire etiam solet, sed symptoma reliqua grauia permanent, & hinc instantem mortem nuntiant.

§. XXIII.

Cum ex acutis morbis sit noster affectus intra quatuordecim dies, & citius, definit, vix diutius producitur, quin vel superetur, vel iugulet ægrum, vel in aliud morbum abeat. Modus euentus ad salutem ita se habet, vt vel per discussionem maturam finiatur, vel per euacuationem criticam, prægressis signis coctionis, & in die critico, vt per hæmorrhagiam narium sufficientem, hæmorrhoidum fluxum, sudorem, vt & vrinam copiosam, diarrhoeam biliosam, omnibus reliquis hic consentientibus. Ad mortem fit transitus per corruptionem & resolutionem destructiuam vel sanguinis, vel menygum ac cerebri. Illud fit maligniori, vehementiori, & indomita, febri permanente, hoc, si suppuratio contingat, vel in gangrænam & sphacelum mutetur inflammatio. Utroque accedere solent motus

tus conuulsui, vel paralysis, vel coma, vel lethargus, vel catalepsis, vel alia. In morbum aliud mutatur, si vel, fermento febrili inæquali superato, partes acidobiliosæ in massa sanguinea exuperantes permaneant, & maniam inferant, vel, partibus biliosis secedentibus, acidæ fixiores eminentes reddantur, a quibus melancholia inducitur, quod tamen rarius obseruari solet.

§. XXIV.

Cum delirium phreniticum ab inflammatione menyngis piæ & partis cerebri corticosæ dependeat (§. 5.) febris autem conjuncta vel ex eadem inflammationis causa orta sit, vel præcedens huic inflammationi ansam præbuerit (§. 6.), & inflammatio & febris, si curare morbum hunc velimus, remoueri debet. Inflammatio remouetur, si stasis sanguinis in his partibus expediatur; febris autem tollitur, si partes acres biliosæ fermentificæ, in sanguine exuperantes, annihilentur. Quoniam autem eadem particulæ biliosæ acres stasin sanguinis in partibus dictis, & febrim in toto, efficiunt (§. 6. II.), adeoque hæ corrigendæ & eliminandæ sunt, eadem remedia, quæ stasin expediunt, febri remouendæ vna sufficiunt. Ergo staseos tantum expeditionem, symptomatumque urgentem mitigationem, procurare debemus, vt phrenitidis obtineatur curatio.

§. XXV.

Stasis ut expediatur necesse est, vt tam sanguinis, quam parietum vasculorum arteriosorum vitia (§. 10. II. 12.) corrigamus; causa enim ablata tollitur effectus. Sanguis igitur quantitate nimia peccans imminuendus, qualitatem vitiosum habens, alterandus, eiusdemque motus, ad partem adfectam impetuosior, refrenandus est.

§. XXVI.

§. XXVI.

Quantitas sanguinis excedens optime imminuitur per venæsectionem. Administrari autem hæc debet statim in principio, viribus adhuc constantibus, & quidem in brachio, vel, si mensum obstructio occasionem dederit, in pedibus institui solet, a quibusdam etiam frontalis vena eligitur, quæ tuto secari potest, magis tamen deriuandi fine. Deriuatio etiam per sectionem raninarum obtineri posset, sed in delirantibus difficilime peragitur, & hæmorrhagia nimia facile inde excitatur, non commode compescenda, vnde hic melius omittitur. Iugularis etiam secta vena a quibusdam laudatur, quod reiiciendum non est, modo recte deligetur, quæ tamen itidem non tam ad quantitatem imminuendam, quam deriuationem obtainendam, adhibetur. Hirudines venis hæmorrhoidalibus applicatae non, nisi specialissimo indicante præsente, ut in hæmorrhoidibus suppressis, locum habent, &, ob inordinatum delirantium motum, & agitationem corporis inconcinnam, vix recte admoueri queunt. Si tamen apertio hæc ex reliquis circumstantiis utilis, vel necessaria, videtur, frictio hæmorrhoidum cum foliis ficus a non nullis suadetur, eum in finem instituta. Excitatio hæmorrhagiæ narium, si venæsectio necessaria non admittatur, quandoque, ceteris consentientibus, in usum vocari potest. Arteriarum temporum sectio a quibusdam extollitur, sed rectius venæsectio eius loco adhibetur, cum & hic ligatura ab ægris facile remoueatur, cum vitæ periculo. Quantitas sanguinis euacuandi sufficiens sit, non tamen nimia.

§. XXVII.

Qualitas sanguinis vitiosa hic est acrimonia biliosa fermentatiua, & spissitudo eiusdem. (§. II.) Acrimonia biliosa

bilioſa cum a partibus bilioſis acribus, in ſanguine emi-
nentibus, & euolutis, & a defectu ſeri blandi, demul-
centis, proueniat, partes illæ & corrigendæ & mi-
nuendæ ſunt; ſerum autem blandum conueniens re-
ſtaurandum eſt.

§. XXVIII.

Partes bilioſas corrigunt & per poros cutis elimi-
nant diaphoretica & bezoardica, media & fixa, vt mix-
tura bez. ex tinctur. bez. Wedelii, mixtura ſimplici
& eſtentia ſcordii, cum eſſ. anod. aliquot guttulis,
eſſ. alexiph. Stahl. & aliorum. Camphora etiam hic
locum habet, & optimum edit effectum, cum absorben-
tibus & nitroſis data, ita, vt pro doſi gr. ſemis vel. $\frac{2}{3}$ gr.
impendantur, quidam etiam ad gr. ij. iij. adſcendunt.
Ex fixioribus huc pertinent pulu. bez. Wedel. Sennerti,
lapis de Goa, pulu. e chelis cancror. London. antim.
diaph. bezoard. mineral. martiale, lap. cancr. vel per
ſe, vel cum ſucco citri ſaturati, cinnabar. nativa, anti-
monii, ſpec. de hyacintho.

§. XXIX.

Corrigunt, & per aluum euacuant, lenientia, in
principio morbi, vt &, ſi aluus ſit obſtructa, vbi
rhabarb. vel rhabPont. cum nitro vtile eſt. Ita quo-
que clyſteres habent locum ex emollientibus, tempe-
rantibus, & aluum lenientibus, concinnati, v. g. ex rad.
alth. malu. lil. albor. ſcorz. pæon. tarax. herb. ſ emoll.
endiu. lactucæ pariet. violar. beton. floribus bugloſſi,
verbasc. chamom. nymph. ſem. aneth. prun. dulc. caric.
pingu. ſem. 4. frigid. mai. lin. fœn. græc. fol. ſennæ
rhabarb. mechoac. colat. addendo elect. lenit. dia-
cathol. nitr. lapid. prunell. & vitell. ouor. Celeberri-
mus Boerhaue commendat etiam purgantia antiphlo-
gistica, cremorem tartari, cryſt. tart. & iſpum tarta-
rum, ſal polychrest. pulpam tamarind. decoct. eorum,
C & pul-

& pulpam cassiae. Quidam emetica quoque proponunt, sed minus conueniunt, quia pressio vasorum fit maior, & ad caput magna vi sanguis vrgetur, quod potius omni præcauendum est modo. Si autem nondum adsit phrenitis, timenda tamen sit, fomesque biliosus, in ventriculo hærens, sui eliminationem citiorem postulet, ipecac. vel sal vitrioli blandissimam euacuationem præstare potest, si autem per inferiora is euacuetur, longe tutius id erit.

§. XXX.

Partes biliosas acres corrigunt, figendo & inuentendo, salia media, nitrum depuratum, perlat. arcan. dupl. triplicatum, pulueribus vel subdupla, vel subtripla, vel subquadrupla, quantitate miscenda. Corrigunt easdem figendo, acidula, tinctur. flor. papau. rhoead. bellid. violar. rosar. clyso antimon. parat. spiritus vitriol. cephal. cum mixtura simplici rectificata, acetofitas citri, in decoctis & alias. Temperant quoque eas diluentia, paulo post recensenda. Corrigunt easdem sulphurea blanda obtundendo, & inuoluendo, farinacea vt hordeum & auena in decoctis, semina 4. frigida maiora, in emulsionibus, gelatinosa, rasur. cornucerui, eboris, in decoctis, vel gelatinis, recenter inde paratis, vel acidulatis, vel minus, anodynæ refracta dosi cum bezoard. data, essent. anodyn. in mixturis, diacord. Fracast. in bolo, theriac. cœlestis in pilulis & potionibus, sem. papau. albi in emuls. sirup. papau. alb. in iisdem, sirup. papau. rhoead. in potionibus. Anodynæ hæc non promiscue exhibenda, vel continuanda sunt, sed magis, si omnia sint efferata, vigiliæ urgeant, & vires consentiant, nec adsit frigus, vel tremor artuum, vel extrema instent. Maiori autem dosi opiate non facile danda, sed summa adhibita prudenter, nec facile ante, sed post diem duodecimum, circumstantiis consentientibus.

§. XXXI.

§. XXXI.

Externa etiam adhibita partibus biliosis alterandas, & temperandis, conuenientia sunt, ex temperantibus, resoluentibus, & discutientibus combinata. Taliæ sunt epithemata frontalia, ex aqua verben, solan. sedi maior. puleg. rosar. flor. sambuc. tiliæ, aceto vel rofac. vel rutac. vel destillato, nitro antimoniat, philon. Roman. rite composita. Eidem scopo inferuiunt emulsiones externæ: ex sem. 4. frigid. maior. nucl. persic. cum aqua rosar. & camphora, aliisque, paratæ. Vnguent. alabastr. temporibus applicatum, cuin camphora & nitro antimoniano, cum vel sine aceto, simplifici aut rosato, commodum quoque est. Epithema siccum, fronti applicatum, etiam laudatur, ex mica panis, semine carui, baccis lauri, sale communi, vel nitro, qnod vulgo in usu est in dolore capitis. Spiritus vini camphoratus, vt aliis inflammationibus proficuus est discutiendis, hic etiam commendari solet, vertici, temporibus, nuchæ, fronti, linteis duplicatis impositus. Huc quoque pertinet gargarisma ex decocto flor. papau. thoead. cum nitro, vel aliud, ex similibus paratum, vt in vicinia quoque contemperatio fiat. Clysteres temperantes, ex sola aqua, vel sero lactis, vel lacte ebutyrato cum melle, vel oxymelle, pro eodem scopo, imo & fatus ad annum, ex radic. lil. alb. cum sero lactis coctis, a quibusdam commendantur. Ne de pediluuiis, ex herbis refrigerantibus & temperantibus, v. g. ex herb. lactuc. nymph. fragor. malu. violar. foliis salic. flor. melilot. rosar. chamom. &c. cum aqua, vel lacte ebutyrato decoctis, dicamus.

§. XXXII.

Spissitudo sanguinis, cum a defectu seri blandi. & viscositate globulorum sanguinis proueniat, corrigitur partim dictis diaphoreticis, quæ hos resoluunt, & flu-

C 2

xilio-

xiliores reddunt, quod & salia media, iam commenda-
data, simul præstant, vt & externa imposita, vna
resoluentia, partim per ea, quæ serum blandum resti-
tuunt, hoc enim sanguini fluxilitatem decentem præ-
bet, partesque biliosas acres vna temperat

§. XXXIII.

Serum blandum restaurant aquea, & gelatinosa,
vt decoct. hord. cum cornu cerui & scorzon. cui &
alia addi poterunt v. gr. rad. graminis, nymph. acetos.
fior. bellidis, papau. rh. rosar. rubrar. fructus berber.
taleol. citri, nitrum depurat. clyssus antim. tinteturæ aci-
dulæ superius recensitæ &c. Profundit etiam hoc nomi-
nne potiones, ex aquis diaphor. & temperantibus, v. g.
aqua scorzon. flor. samb. ceras. nigror. acac. acetos.
acetosell. rub. Id. scord. anagall. additis extractis scorz.
contrayeru. bellid. scabios. pulu. diaph. bezoard. ni-
tro depur. sirup. acetos. citri, berber. granat. acid.
papau. rh. &c. Ex iisdem aquis cum sem. 4. frigid. mai.
pæon. card. bened. concinnatæ emulsiones utiles sunt,
vbi colat. pulu. epilept. March. antim. diaph. pulu.
bez. Sennerti addi poterit. Ad hanc classem etiam
decoct. herb. theæ pertinet, & potus ordin. tem-
peratus.

§. XXXIV.

Motum sanguinis ad cerebrum nimium refrenant
reuellentia & temperantia. Ex reuellentibus est venæ
fectio quoque, quæ etiam hoc intuitu proficua est,
adeoque & quantitatem & qualitatem, & motum, san-
guinis corrigit, & eo minus in principio, si indicetur,
negligenda. Reuellunt etiam vesicatoria, pone aures,
brachiis, plantis pedum, imposita. Reuellunt rubefaci-
entia, ex sem. sinap. nasturt. allio, radice. pyreth. cum
fermento panis mixtis, & plantis pedum imposita. Re-
uellunt frictiones asperæ, in partibus inferioribus, cu-
curbi-

curbitæ suris, dorso, inter scapulas, brachiis, appositiæ, cum vel sine scarificatione, ut & clysteres, aluum citantes, superius commemorati.

§. XXXV.

Perspectis, quæ sanguinis emendant vitia, viæ emendandæ restant, si læsionem acceperint. Læsio itaque externa, per vulnus, casum, percussionem &c. mature, & priusquam phrenitis accedit, corrigenda est, adeoque magis præseruandum, quam admittendum, hoc malum est. Statim itaque, post læsionem factam, & vena secanda erit, & interius laudata diaphoretica & bezoardica, adiectis etiam traumaticis, propinari debent, exterius autem sacculi, & fatus, ex cephalicis, neruiniis, discutientibus, cum vino coctis, & applicatis, & die & nocte continuatis, tum sanguinis resolutio, conseruatio, & discussio, tum fibrarum læsarum restitutio, procuranda est. Sacculi tales fieri possunt ex rad. pæon. ireos Flor. herb. salu. origan. ror. marin, flor. stoech. Arab. lil. convall. tiliæ, beton. paralys. anth. rosar. thur. mastiche, gummi elemi, spica Indica &c. Reliqua insuper, vulneri debita, sunt probe obseruanda. Neglecta autem hæc omnia si fuerint, phrenitisque iam accesserit, eadem quidein tentanda & adhibenda sunt, sed periculosior tunc redditus est status, qui sæpius omnem spernit medelam & diligentiam, nimis sero adhibitam.

§. XXXVI.

Symptomata tandem urgentia mitiganda veniunt. Ferocia nimia hinc si adsit, ut & alios lædant, & exsiliant, vel similia præstent, ægri, præter remedia iam proposta, hoc robur compescendum est, ligatura manuum pedumque, conuenienter instituta, sic enim arcetur damnum, quod vel aliis, vel sibi meti ipsis, alias inferrent. Atque hoc in statu conueniunt etiam anodynæ, supe-

superius laudata, sed concinne, prouide, & prudenter, adhibita. Motus conuulsiui si timendi sunt, & vesicatoria applicata, & cephalica temperata, reliquis iuncta, prosunt, vt pulu. epil. March. sulphur antimonii purum, cinnab. antim. panac. solar. vngul. alcis, antihect. Poterii, dens hippopotami, magister. corn. ceru. &c. Aluus adstricta si sit, lenientia proficia sunt, vt clystres, globuli sacharini, loco suppositorii, rhabarb. vel rhapsonticum cum nitro, sal Sedlizense, & alia, Stupor, sopor, lethargus, silentium contumax, si adsint, reliqua que consentiant, liquor cornu ceru. succin. liquor. cephal. & externe aqua apoplectica volatilis, quandoque habent locum. Oris, fauciumque, siccitas ingens si vrget, collutione tepida. ex decoct. flor. papau. rh. mucilag. sem. cydon. cum aqua rosar. facta, & similibus, leuamen adferre conuenit. Et sic alia occurrentia symptomata eius loculis mitigari debent, quantum vlo modo fieri potest.

§. XXXVII.

Omnibus dictis conueniens iungenda est diæta. Aer itaque temperate calidus vtilis tantum est, intemperatus omnis damnosus. Alimenta, si appetantur, non nisi temperatissima conueniunt, vitatis omnibus acribus, aromaticis, nimis spirituosis. Potus temperatissimus conuenit, & magis medicamentosus, superius propositus. Quies omni modo conseruanda, & commendanda, somnus blandus, si accedere velit, non turbans. Adfectus animi vehementes excitari nequaquam, præsentes autem magis demulceri, debent. Excretiones necessariæ conseruandæ, & deficientes in ordinem redigendæ, erunt, aptis oppositis auxiliis.

SOLI DEO GLORIA!

Est

* * *

Est animus numeros carmen ea com-
ponere in aptos

Inque TVAS laudes uerba ligare pedes

Haec etenim poscit pietas, quum culmina

Pindi

Splendidus adscendis; munera docta fe-
rens.

Munera, queis tantos compensat Apollo
labores

Quaeque suum seruant fronde uirente
decus.

Munera, ceu quondam tulit ille Epidau-
rius, artis

Paoniae lumen, nescia quippe mori.

Dignior haec aliis capies, quo dignior
exstas

Artibus et studiis, ingenioque potens.

Ergo

Ergo quaesitus, quo nunc splendescis
honore,

Immortale TIBI nomen in orbe parit.

Sis felix, uiuas uitam, quam longius illum
Non uixisse olim, Nestora saecla ferunt.

Haec TIBI gratatur, quo non sincerior
alter

In tantis umquam uerus amicus erit.

*Quum Clarissimus KÜHNEVS ad Doctoris
medicae artis dignissime accederet hono-
res, paucis his disticbis ei, tamquam
amicus suo dulcissimo, fausta quaque
precans, hanc dignitatem gratulatur.*

IO. MICH. HOERSELMANNVS,
Isenac. L. L. C.

